



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Dispvatæ Dicvntvr, & Quæstiones
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

9 Vtrum verbum cordis sit species intelligibilis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)

nem inferiorum rerum, quarum primatum appetit, & secundum hoc demones decidunt a summa simplicitate xvi. Vnde Dion. dicit 4. c. de diu. nomi. quod demones dicuntur mali, propter hoc quod infirmitatem circa operationem naturalem.

QVÆSTIO V.

DEINDE quaesitum est de hominibus. Et primo, Quantum ad ea quae possunt omnibus esse communia.

¶ Secundo, Quantum ad ea quae pertinent ad quosdam horum status.

¶ Circa communia vero, quaesitum est quadrupliciter.

¶ Primo quidem, De his quae pertinent ad naturam hominis.

¶ Secundo, De his quae pertinent ad sacramenta.

¶ Tertio, De his quae pertinent ad virtutes.

¶ Quarto, De his quae pertinent ad praecepta.

Circa primum quaesita sunt tria.

¶ Primo, Quantum ad personas hominum, utrum scilicet si Adam non peccasset, iidem homines numero saluarentur, qui nunc saluantur.

¶ Secundo, Quantum ad intellectum, utrum, scilicet verbum cordis sit species intelligibilis.

¶ Tertio, Quantum ad voluntatem, utrum scilicet ea quae per timorem fiunt, sint voluntaria.

ARTICVLVS VIII.

Verum si Adam non peccasset, iidem homines numero saluarentur, qui nunc saluantur.

AD PRIMUM sic proceditur. Videtur quod si Adam non peccasset, non iidem homines numero saluarentur, qui nunc saluantur. Si enim Adam non peccasset, soli electi nascerentur. ergo non fuissent nati illi peccatores qui finaliter sunt reprobati, & per consequens nec eorum filij, quia si non sunt iidem patres, consequens est neque filios esse eosdem: multi autem nunc saluantur ex reprobis parentibus nati. ergo si Adā non peccasset, non iidem saluarentur, qui nunc saluantur.

¶ 2^o Prat. Secundum Philosophum semen est supernū alimentum: sed alijs cibis homo usus fuisset in paradiso si non peccasset ab his, quibus nunc vititur. ergo aliud fuisset semen, & per consequens alij filij.

SED CONTRA est quod Greg. dicit 4. mora. Si primum parentem nulla putredo peccati corrumpere, nequaquam ex se filios gehennae generaret: sed hi qui nunc per redemptorem saluandi sunt, soli ab eo electi nascerentur.

RESPON. Dicendum, quod cum in generatione hominis, sicut & aliorum animalium, semen patris sit agēs, materia vero a matre ministrata sit sicut patiens, ex quo corpus humanū forma formatur, impossibile est eundem filium nasci siue sit alius pater, siue sit alia mater: sicut et non est idem numero sigillū siue sit alia cera, siue sit aliud corpus sigilli, ex cuius impressione cera sigillatur. Et quāuis superfluum alimentum sit semen secundū Philosophū, diuersitas tamen alimentorum non sufficeret ad diuersificationem filios qui ex femine nascuntur, quia ex illis cibis non sumitur semen, nisi quatenus aliquo modo in substantiam parentum conuertuntur. Dicunt quidam sequentes Anselmum quod si homo non peccasset in illa prima tēratione,

A statim confirmatus fuisset & ipse, & omnes qui ab eo nascerentur, ita quod omnes qui nascerentur, fuissent electi. Vnde cum nunc multi qui saluantur, ex peccatoribus nascantur, sicut in obijciendo tangebatur, consequens est quod essent alij parentes saluandorum, & per consequens alij filij. Sed haec positio non videtur esse vera, quia secundum Aug. 14. de ciuit. Dei. Status corporis in homine proportio nabiliter responderet statui animae. Quamdiu ergo homo habuit corpus animale potens mori & non mori, indigens alimentis, tandiu habuit animā potentem peccare & non peccare: habuit autē corpus animale quamdiu fuit in statu generandi, quā etiam fuisset, si post illam primam tērationem non peccasset: & ideo possibile fuisset, si primus homo tūc non peccasset, quod etiam ipse, vel eius posterij postmodum peccarent, ut Hugo de sancto Victore dicit. Vnde ex hoc non sequitur parentum diuersitas, quod nunc sunt alij peccatores: tunc autem non essent, sed est aliud, unde necesse est ponere diuersitatem parentum, quia in primo statu vnus homo non habuisset plures uxores, nec etiam aliqui ex fornicatione, vel adulterio nascerentur, quod nunc contingit etiam in his qui saluantur. Multi enim filij vnus parentis ex pluribus vxoribus nati saluantur, sicut patet de filiis Iacob. Multi etiam ex fornicatione, vel adulterio nati, alioquin eis frustra sacramenta salutis adhiberentur. Vnde relinquitur, quod aliqui nunc saluantur, qui si primus homo non peccasset, non nascerentur, & per consequens non saluarentur: nec tamē Dei praedestinatio falleretur, quia Deus praedestinauit homines habens scientiam futuri euentus. Quod vero Grego. dicit, quod si primus homo non peccasset, nequaquam ex se filios gehennae generaret, indubitanter verum est. Non enim in filios transfunderet peccatum originale, sed quod homines filij irae nascuntur. Quod autem subdit, quod hi soli qui nunc saluandi sunt, nascerentur, intelligendum est quod pronomen facit simplicem demonstrationem, quia scilicet soli electi nascerentur quantum est ex ratione originis, non autem demonstrationem personalem, quia alia personae essent hominum qui saluarentur.

Et per hoc patet responsio ad obiecta.

C De praedestinato falleretur, quia Deus praedestinauit homines habens scientiam futuri euentus. Quod vero Grego. dicit, quod si primus homo non peccasset, nequaquam ex se filios gehennae generaret, indubitanter verum est. Non enim in filios transfunderet peccatum originale, sed quod homines filij irae nascuntur. Quod autem subdit, quod hi soli qui nunc saluandi sunt, nascerentur, intelligendum est quod pronomen facit simplicem demonstrationem, quia scilicet soli electi nascerentur quantum est ex ratione originis, non autem demonstrationem personalem, quia alia personae essent hominum qui saluarentur.

ARTICVLVS IX.

Verum verbum cordis sit species intelligibilis.

AD SECUNDUM sic procedebatur. Videtur quod verbum cordis sit species intelligibilis. Verbum enim cordis est, quo intellectus videtur: hoc autem est species intelligibilis. ergo verbum cordis est species intelligibilis.

¶ 2^o Prat. Cognitio intellectiua a sensu oritur: sed illud quod sensus sentit, est species intelligibilis. ergo verbum cordis quo intellectus intelligit, est species intelligibilis.

SED CONTRA. Verbum cordis interius est quod exteriori verbo significatur: sed verbum exteriorius non significat speciem humanam intelligibilem. ergo verbum interius non est ipsa species intelligibilis.

RESPON. Dicendum, quod secundum Aug. 15. de Trini. Verbum cordis importat quoddam procedens a mente, siue ab intellectu. Procedit autē aliquid ab intellectu, in quantum est constitutum per operationem ipsius. Est autē duplex operatio intellectus secundū Philosophum in 3. de anima. Vna quidem quae vocatur diuisibilitū intelligētia, per quam intellectus format in seipso distinctionem, vel conceptū alicuius incomplexi. Alia autē operatio est intellectus complexus. Quodlibet S. Tho. E 2 ponent

Art. 61. sed
dicitur & ad

1. par. q. 14.
a. 1. & q. 14.
art. 4. c. ad 1.
q. 85. art. 2.
opus 53. 6.

D. 67.
Tex. 60. 61.

ponentis & diuidentis, secundū quam format enunciationem, & vtrumq; istorum per operationē intellectus constitutorum vocatur verbū cordis, quorum primum significatur per terminū incōplexū, secundum vero significatur per orationem. Manifestū est autē, q̄ omnis operatio intellectus procedit ab eo, secundum quod est factus in actu per speciem intelligibilem, quia nihil operatur, nisi secundum quod est actu. Vñ necesse est q̄ species intelligibilis quæ est principium operationis intellectualis, differat a verbo cordis, qd̄ est per operationem intellectus formatum, quis ipsum verbum possit dici forma, vel species intelligibilis sicut per intellectū constituta, prout forma artis quam intellectus adinuenit, dicitur quædam species intelligibilis.

AD PRIMVM ergo dicendū, q̄ intellectus intelligit aliquid dupliciter. Vno modo, formaliter, & sic intelligit specie intelligibili qua fit in actu. Alio modo, sicut instrumento quo vtiur ad aliud intelligendum, & hoc modo intellectus verbo intelligit, quia format verbum ad hoc quod intelligat rem.

AD SECVDVM dicendum, quod cognitio sensus exterioris perficitur per solam immutationem sensus a sensibili. Vnde per formam quæ sibi a sensibili imprimitur, sentit, non autem ipse sensus exterior format sibi aliquam formam sensibilem, hoc autē facit vis imaginatiua, cuius formæ quodammodo simile est verbum intellectus.

ARTICVLVS X.

Vtrum ea quæ sunt ex timore sint voluntaria.

Ysa. c. 6.

CIRCA tertium sic proceditur. Videtur, q̄ ea quæ sunt ex timore, non sint voluntaria. Necessitas n. voluntati contrariatur, vt d̄ in 5. metaph. sed ea quæ sunt ex timore, dicuntur ex necessitate fieri. non ergo sunt voluntaria.

SED CONTRA. Omne quod quis operatur propter finem, est voluntarium: sed ea quæ quis operatur ex timore, operatur propter finem. scilicet ad vitandum malum quod timet, sicut qui proicit merces in mare, vitat submergionem nauis. ergo huiusmodi sunt voluntaria.

RESPON. Dicendum, q̄ cum bonum sit voluntatis obiectum, hoc modo se habet aliquid ad hoc q̄ sit voluntarium, quo modo se habet ad hoc q̄ sit bonum. Contingit autem aliquid in vniuersali cōsideratum esse bonum, quod tamen secundum aliquas particulares circumstantias redditur malum, sicut generare filios est bonum, sed generare filios ex non sua vxore est malum. Et similiter contingit aliquid in vniuersali cōsideratum esse malū, quod tamen secundum aliquas particulares circumstantias fit bonum: sicut occidere secundum se est malum, sed occidere hominem perniciosum multitudini, est bonum. Et quia actiones circa singularia iudicantur bonæ, vel malæ, & per consequens voluntariæ, vel inuoluntariæ, simpliciter quidem consideratis singularibus circumstantijs, secundum quid autem secundum q̄ in vniuersali considerantur, ea quæ ex timore sunt in vniuersali quidem considerata, sunt mala & inuoluntaria: sed si considerentur secundum singularia quæ circumstant, sic sunt bona, & voluntaria, sicut proijcere merces in mare secundum se consideratum est malum, & nō voluntarium, sed in tali casu est bonum, & voluntarium. Vnde & Philos. dicit in 3. Ethic. quod huiusmodi mixta sunt ex voluntario, & inuoluntario, simpliciter autem sunt voluntaria: secundum quid autem

F inuoluntaria, ex necessitate facti.

Et per hoc patet responsio ad obiecta.

QVÆSTIO VI.

DEINDE circa sacramenta quaesitum est.

¶ Primò, De sacramento Eucharistia.

¶ Secundò, De sacramento penitentia.

¶ Tertio, De sacramento matrimonij.

¶ Circa Eucharistiam quaesita sunt duo.

G ¶ Primò, Vtrum forma panis annihiletur.

¶ Secundò, Vtrum sacerdos dare debeat hostiam non consecratam peccatori occulto hoc petenti.

ARTICVLVS XI.

Vtrum forma panis in sacramento Eucharistiae annihiletur.

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur q̄ forma panis in sacramento Eucharistiae annihilatur. Illud n. annihilari vñ, quod desinit esse, & in nihil conuertitur: sed forma panis facta cōsecratione desinit esse, nec est dare in quod cōuertatur non n. conuertitur in materiam corporis Christi, nec etiā in formam eius quæ est anima, alioquin anima esset ibi ex vi sacramenti. ergo forma panis annihilatur.

H ¶ 2. Præ. Aug. dicit super illud 1p. 17. Clarificatus parerit &c. Si humana natura cōuertitur in verbum, si diligētius cogitamus, homo periret in Deo: sed illud annihilari d̄ quod perit. ergo si panis conuertitur in corpus Christi, videtur quod annihilatur.

SED CONTRA est, quia sicut Aug. dicit lib. 33. q. Deus non est actor tendendi in non esse: est autem actor sacramenti eucharistia. ergo in illo sacramento nihil annihilatur.

RESPON. Dicendum, q̄ annihilatio quædam modum d̄ importat. Omnis autē motus denominatur a termino ad quē. Vnde terminus annihilationis est nihil. Cōsecratio autē panis in sacramento eucharistia non terminatur ad nihil, sed ad corpus Christi, alioquin non esset dare quomodo corpus Christi incipiat esse sub sacramento. Non n. incipit ibi esse q̄ motū locale, alioquin desineret esse in celo. Relinquit ergo q̄ in cōsecratione panis nō est aliqua annihilatio, sed trās substantiatio panis in corpus Christi.

AD PRIMVM ergo dicendum, q̄ sicut in generatione naturali neq; forma, neq; materia generatur, aut corrumpitur, sed totum compositum, ita etiā in sacramento altaris non est querendum scilicet de forma, aut materia in quid conuertatur, sed totus panis conuertitur in totum corpus Christi, in quantum est corpus, quia si in triduo mortis Christi fuisset cōsecratio facta, non fuisset ibi anima, sed corpus exanime, sicut in sepulcro iacebat.

K AD SECVDVM dicendū, q̄ perire diceretur natura humana, si cōverteretur in verbum quantum esse desineret, quod pertinet ad terminum a quo, nō autem si annihiletur quantum ad terminū ad quem.

ARTICVLVS XII.

Vtrum sacerdos debeat dare hostiam non consecratam peccatori occulto hoc petenti.

CIRCA secundum sic procedebatur. Vñ q̄ sacerdos debeat dare hostiam non consecratam peccatori occulto hoc petenti. Nō n. debet sacerdos peccatum